


05

A

1719





Εξέτασις ἐλεγκτικὴ

ERRORUM TUM VE-
TERUM, TUM RECENTIORUM:
eorum cum primis, quos Photiniani hodie,
Sacramentarij, & Esavvitæ, de POENITEN-
TIA, satis impiè propugnare
student.

*Sub auspicijs sacro-sanctæ & individuæ
Trinitatis;*

Ordinariæ disputationis loco proposita,

PRÆSIDE

LEONHARTO HUTTERO,
S. Theologiæ Doctore & Professore P. ac
Collegij Theologici Seniore:

RESPONDENTE

M. SIGISMUNDO EVENIO Navenâ-
Marchico, amplissimi Collegij Philosophici
Adjuncto.

a. d. 16. Aprilis: horis à sextâ matutinis.

WITTEBERGÆ

Typis IOHANNIS GORMANNI,
ANNO M. DC. XIII.



VIRIS

REVERENDIS, CLARISSIMIS
ATQVE EXCELLENTISSIMIS,

DN: LEONHARTO HUTTERO,
DN: FRIDERICO BALDUINO,
DN: VVOLFVGANGO FRANZIO,


S. S. Theologiae Doctoribus, & in inclu-
ta VVittebergensi Academia
Professoribus Publicis,

*Præceptoribus, Fautoribus ac Promo-
toribus suis Magnis,*

IN
OBSERVANTIAE ET GRATITU-
DINIS TESTIMONIUM

D. D. D.

M. Sigismundus Evenius.



PROPOSITIO PRIMA.

Doctrina de Pœnitentia tum ab antiquitate dignitatem; tum ab usu necessitatem sibi singularem vendicat: ut quæ à protoplastis usque originem trahit, quibus non nisi ob transgressionem per pœnitentiam reditus ad gratiam cum DEO patuit.

II. Iam hujus ipsius materiæ tractatione, maximam muneris sui partem Prophetæ, Christus, Apostoli transegerunt: ita ut plerique ab ejus propositione prædicationis suæ exordium sumserint.

III. Quin miseris nobis peccatoribus, secunda quasi post naufragium tabula, in Pœnitentia unicè relinquitur: Siquidem vestis innocentiae, in Baptismo accepta, postquam peccatorum sordibus hac in vita polluitur, pœnitentiæ quasi smegmate quopiam aut remedio reparatur, & rursus quodammodo eluitur, ut ad gratiam pristinam Baptismi reditus pateat. *Pœnitere enim sæpius, imò indies licet homini: at non itidem baptisari: ut alicubi habet B. Hieronymus.*

IV. Verùm quò excellentior est articuli hujus dignitas: eò maiore studio atque conatu, nunquam non Diabolus ὁ ἁδοξίαν & nativum ejus decus, obtecuratum imò expugnatum ivit.

I. NOVATIANI.

V. Mox circa A.C. 250. Novatianos (quos cum Catharis plerique confundunt, ejusdemq; hæreseos socios

sed perperam faciunt) extruunt: contendentes, lapsis post
Baptismum, nullam salutis spem esse reliquam, licet lachrymis,
gemitu & dolore cordis, Ecclesiae fores pulsent, & cuncta ad sin-
ceram conversionem & puram confessionem pertinentia perfici-
ant: vel ut Epiphanius habet: μετὰ τὸ λῆτερον μηκέτι δύνασθαι
ἐλεῖσθαι τὸν πεπτωκότα.

VI. Horum impietatem progressu temporis ab Orco
quasi revocarunt, vel certè novis flabellis resuscitarunt,
Meletiani, Tessaraskaedecatiæ, sive Quarti-Decima-
ni, Apostolici, Luciferiani: quanquam hi posteriores re-
strictius Clericis solum & Episcopis, post gradum assum-
tum lapsis, salutis spem omnem præcidebant.

VII. Rectè autem jam olim Cyprianus epistolâ ad
Novatianum datâ, de his pronunciavit, quòd non tantum,
ut in Evangelio significatum est, sicut Sacerdos & Levita ja-
centem vulneratum prætereant: sed ingeniosâ & novâ crude-
litate, sauciatum penitus occidant.

VIII. Et Vincentius Lirinensis: Quis ante crudelissi-
mum Novatum, crudelem DEUM dixit, eo quòd nollet mortem
morientis, quàm ut revertatur & vivat?

IX. Nam ut rectè Iustinus Martyr in Dialogo cum Tri-
phone, ex Scripturis sacris definivit, Quemcunque pœ-
nitet delictorum commissorum, remissionem illorum conseque-
tur. Bonitas enim & humanitas DEI, pro sua immensâ beni-
gnitate etiam peccatores, sicut per Ezechielem promittit, re-
suscipientes amplectitur, tanquam justos & innoxios. Ezech.
18, 23. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris: sed
ut convertatur impius à via suâ malâ, & vivat. Ezech. 33, 11.
Convertimini, Convertimini à viis vestris pessimis, & quare
moriemini domus Israël? Act. 17, 30. Nunc annunciat DEUS
omnibus ubique hominibus, ut pœnitentiam agant. 2. Pet. 3, 9.
Non vult DEUS ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.

X. Et

X. Et Basilus M. ad Monachum qui exciderat: *Tempus adhuc est pœnitentiæ: tempus divinæ bonitatis: tempus curationis: tempus correctionis: Lapsus es? Exsurge. Peccasti? Quiesce. Ne stes in via peccatorum: sed resili. Quamprimùm enim conversus ingemueris, sanaberis.*

XI. Et Serm. de pœnit: *Nos si ex Novo Testamento ostenderimus, quòd & post Baptismum & acceptum Spiritum qui peccavit, à peccato, per Pœnitentiæ charisma revocatur, manifestum erit & post Baptismum, pœnitentiæ locum esse ijs, qui deliquerunt. Rogemus Servatorem; Quare ad nos venisti? respondebit: Non veni servare justos, sed peccatores vocaturus ad pœnitentiam. Sciscitemur ab ipso, Quid portas in humeris? Ovem, respondebit, perditam. Queramus, Cujus gratiâ gaudent, qui sunt in calis? Unius, respondebit, pœnitentis gratiâ Angeli letantur: & Tu hæretice pœnitenti banc invides letitiam? DEUS illū cum gaudio amplectitur, & tu hoc prohibes?*

XII. Quid quòd hæresis hæc Evangelij scopum primum, qui omnibus resipiscitibus gratiam DEI pollicetur, impiè evertit: clavis absolutoriæ usum nefariè tollit: immensitatem gratiæ & meriti Christi sacrilegè negat: quintam Orationis Dominicæ petitionem ausu temerario planè exterminat, & irritam reddit.

XIII. Quanquam verò Orthodoxa Christi Ecclesia hæresi huic anathema publicè semper dixit: & cum Chrysostomo exclamavit: *χιλιάρκισ μετανοήσας εἰσελθε*: nostro tamen hoc tempore pestilentissima illa PHOTINIANORUM recentiorum colluvies, eam, si non ex toto, ex parte tamen præcipuâ, postliminiò in Ecclesiam revocat.

II. PHOTINIANI moderni.

XIV. Pater hoc ex ipsorum scriptis ac libris, in fausto hætenus sidere editis, quib. hæc sunt inserta Emblemata:

A 3

1. Pœnæ

1. *Pœna temporales, ut morbi & calamitates alie, quæ ob scelera commissa hominibus immittuntur, non nisi ab irato DEO infliguntur, & æterna damnationis testimonia sunt. Tractatus Christ. Relig. à Sommero, Neusero & aliis editi, anno 1583. Et Sommerus in confut. responsionis Seniorum. p. 69. & 70.*

2. *Peccata ad mortem sunt, quibus lex DEI sine exceptione denunciatur mortem, ut sunt: avaritia, concupiscentia, furta, adulteria, homicidia, ira, contentiones, hæreses & hujus generis alia, quæ non ex ignorantia, sed contra conscientiam & æque animæ committuntur, & sæpius repetuntur. Liber Germanicus sub titulo Examinis editus.*

3. *Peccatores omnes moriuntur in peccatis suis (hoc est, æternùm damnantur) quotquot propter flagitia vel à DEO ipso, morte prematurâ, vel cruentâ, vel alio aliquo modo è medio tolluntur, sic ut judicia DEI in illis fiant manifesta: vel qui à Carnifice ob facinora jugulantur.*

4. *Tempus quidem quoddam gratiæ est, in quo DEUS interdum quasi ἀπὸ πηχάνης peccantibus auxiliatur, & poenitentiam agentibus peccata remittit: sed incertum planè illud est, ac indefinitè imò dubitanter in Scripturis definitur, per phrasas dubitationis plenissimas: Ionæ 3. 9. Quis scit, si convertatur Dominus? Actor 8. 22. Roga DEUM, SI FORTE remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui?*

5. *Et quanquam interdum veniam DEUS offert sic peccantibus, tamen non semper facit, sed contemptum bonitatis suæ horribiliter ulciscitur, adeò ut cum lacrymis quesita poenitentia nusquam reperiatur. Hebr. 12, 47. Sommerus in tractatibus anni 1583. pag. 47.*

6. *Remissionem peccatorum & annunciationem gratiæ quotidianam esse nusquam memini me legere: ideoq; postulo senten-*

sententia hujus testimonium ex sacris literis, quòd DEUS etiamsi cras ad mortem velit peccare aliquis, tamen remissurus sit: nam pauca ejus rei exempla non constituunt regulam, quòd DEUS semper id velit facere. Sommerus ibid. pag. 75. b.

7. Ergone desperandum nobis est, dicet aliquis? Nequaquam. Sed cogitet quisque hoc ipso momento sibi dici: Desiste à malo, & fac bonum, ac agat poenitentiam quàm celerimè, ne ira DEI ipsum apprehendat. Sommerus ibid.

8. Die Kind r Gottes haben ihre Lust vnd Frewd an recht thun / vnd guten Wercken / frewen sich der Gerechtigkeit vberall / werden aber sehr betrübt / vber der Ungerechtigkeit / wie der gerechte Loth / hatten sich fleissig für Sünden / vnd wo siehs treffe aus Unverstand oder Unvorsichtigkeit (welches doch selten geschicht) das Sie von der Sünd erhaschet würden (Denn mutwillige Sünde hat kein Opfer Heb 10.) so bald sie es erfahren oder mercken / oder von sich selbst / oder von jemand anders vermanet / bleiben sie nicht in der Sünde / thun von sund an Buß. &c.

X V. Emergunt ex his tria potissimum Photinianæ hæreses, quoad hunc articulum, capita:

1. Verè fideles peccare quidem, sed non destinato consilio, non contra conscientiam: verùm leviter tantùm, & ex quadam infirmitate carnis, vel etiam ex ignorantia: ac proindè hos consequi remissionem peccatorum, agentes poenitentiam, & indies ac indefinenter orantes: Dimitte nobis debita nostra.

2. Si quis in peccata mortalia voluntaria & contra conscientiam prolabatur, & non statim, simul ac ea commisit, de iisdem verè doleat, & agat poenitentiam:

tiam: illum postmodum nullam amplius consequi posse remissionem peccatorum, si maximè cum lachrymis eam quærat ac desideret.

3. Nullum à DEO pro peccatis voluntariè & ἐκ προαιρέσεως commissis destinatum unquam fuisse Sacrificium: Dann mutwillige Sünde habe kein Opfer/ Hebr. 10.

XVI. Summa impietatis eò redit, ut cum Novatianis partim statuat, dari peccata post baptismum commissa, quæ nullam remissionem consequi possint, quantumvis seria agatur poenitentia: partim verò cum Catharistalem sibi, suisq; sectatoribus sanctitatem ac mundiciem superbissimè & arrogantissimè vendicet, quæ peccato voluntario & mortali careat.

XVII. Est certè venenum hoc nocentissimum, & facilè in animis eorum radices agit, qui se, suaq; studia, dicta & facta universa, stultà quadam φιλαυτία admirantur: quin etiam religionis & salutis nostræ jugulum petit: fidem Christianam & confessionem evertit: omne solatium in absinthium convertit: desperationis laqueos inextricabiles conscientiis sensu iræ DEI perterrefactis injicit, & ad inferorum barathrum easdem præcipitat: Spiritui Sancto leges figit: Baptismi fædus prorsus evacuat, Evangelij denique promissiones nefariè corrumpit, mutilat, tollit.

XVIII. Etsi enim libenter Photinianis largimur, Renatorum officium esse, ut à peccatis voluntarijs atque contra conscientiam commissis, sibi apprimè caveant, pravis carnis concupiscentijs Spiritu fortiter resistant: memores quòd qui sic peccant non sint ex DEO, sed ex Diabolo, 7. Ioh. 3, 8: & quod scortatores, invidi, contentiosi, litium seminatores, idololatræ, mæchi, molles, ἄσεννοὶ κίττοι fures, avari, ebriosi, rapaces & similes regni DEI hæreditatem non sint consecuturi: Gal. 5, 19. & 21. 1. Cor. 6, 9.

XIX. Etsi

XIX. Etsi quoque illud non inficiamur, Doctorum Ecclesiæ proprium munus esse, tum promissionibus Evangelicis pœnites erigere & consolari: tum præfractos & contumaces comminationibus legis, non frigidè ac perfunctoriè, sed sedulò ac seriò terrere, æternæ damnationis sententiâ in ipsos, nî respiscant, latâ & pronunciatâ.

XX. Illud tamen falsum, impium, hæreticum esse statuimus, quòd contendunt, ἐκείως, voluntariè ac contra conscientiam peccantes, & non statim post commissum tale peccatum pœnites, nullam deinceps posse ampliùs consequi remissionem peccatorum, neque pro ejusmodi peccatis ullum à DEO unquam destinatum fuisse sacrificium.

XXI. Causas & argumenta negativæ nostræ proferimus isthæc: 1. Christus Servator discipulis suis præscribens Orationis Dominicæ formulam, nullatenus distinguit inter lapsus infirmitatis, & peccata voluntaria sive contra conscientiam: quasi non hæc, sed illa tantùm sub quintæ petitionis complexum cadant. Nam disertè pro illis quoque peccatis jubet orare, quæ non tantùm sunt παραπτώματα lapsus: Matth. 6, 15. sed & quæ sunt ἀμαρτίαι, Luc. 11, 4. imò ὀφειλήματα debita, sponte nostra contracta: & his remissionem peccatorum expressis verbis pollicetur, si de illis agatur pœnitentia: id quod Servator tum exemplo mulieris peccatricis, quæ flagitiosæ & prostituta erat vitæ, nec statim post commissa flagitia egerat pœnitentiam: tum parabolâ de duobus χρωφειλέταις sive debitoribus, qui prorsus non erant solvendo: sed quibus debita gratis condonata fuerunt, satis nervosè & dilucidè astruit ac confirmat. Luc. 7, 37, 41. & 42. & 47.

XXII, Neque verum est, quod Sommerus grunnit (pag. 70. in tractatibus) *Exempla remissorum interdum pec-*

B

catorum

catorum, non constituere regulam, quòd DEUS semper debeat aut velit remittere peccata.

XXIII. Quemadmodum enim apud DEUM nulla est *μετωποληψια*, Rom. 2, 11. ita quo mitericordiæ affectu unum aut alterum peccatorem poenitentem, ut Davidem, Petrum, Latronem in cruce, Mariam Magdalenam & alios, quorum sacra pagina meminit, est prosecutus; eodem prosequitur singulos & universos peccatores, sed per poenitentiam redeuntes: ita ut regula infallibilis longèq; certissima inde extrui possit & debeat, quòd DEUS omnibus peccatoribus, qualibus qualibus, quantis quantis, sed poenitentibus, peccata remittere, eos in gratiam recipere, ac tandem æternùm salvare velit.

XXIV. Fundamentum hujus regulæ monstramus Sommero planè immotū, & ipsis inferorum portis firmius, etiam religioso juramento confirmatum: Ezech. 18, 33. & cap. 33, 11. *Vivo ego, dicit DOMINUS DEUS: nolo mortem impij: imò nolo mortem MORIENTIS: sed ut convertatur impius à via sua, & vivat: Quare ergo moriemini domus Israël? Cujus verò impij mortem non vult DEUS? Num illius tantùm, qui ex infirmitate, & per ignorantiam peccat? Non ita: Sed ne quidem MORIENTIS, neque illius, qui (uti textus clarè innuit) est latro, qui effundit sanguinem, qui comedit in montibus, uxorem proximi sui polluit, egenum & pauperem contristat, per vim opprimit, rapit rapinas, pignus non reddit, ad idola levat oculos suos, abominationem facit, usuras accipit &c. Ezech. 18, 10. De tali peccatore affirmat & jurat lehovah: Si talis impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet, & non morietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor: Nunquid voluntatis meæ est mors impij: vel,*

Num

Num ego delector morte impij, dicit Dominus DEUS, & non ut convertatur à vijs suis, & vivat? versu 21. & seqq. Quin imò DEUS ipse generalem hanc inde extruit regulam: Convertimini ergo & agite pœnitentiam, ab OMNIBUS iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. ibid. ver. 31.

XXV. Sed talem regulam ex sacris sibi dari postulat Sommerus, quæ evincat, quòd DEUS SEMPER velit remittere peccata.

XXVI. O verò bardum hominem, & in sacris rudem, planeq; hospitem! Hoc ipsum enim vel Sole meridiano clarius, DEUS ipse rursus attestatur: Ezechiel. 33. 12. *Tu, inquiens, fili hominis, dic ad filios populi tui: Impietas impij non nocebit ei, IN QUACUNQUE DIE conversus fuerit ab impietate sua, vel, secundum versionem Hebræam Pagnini: In impietate sua impius non corruet, in die quâ conversus fuerit, ab impietate sua. Et versu 14. Si dixero impio, Morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, & pignus restituerit &c. vitâ vivet, & non morietur. Quæ assertio uti indefinita est, ita nullam restrictionem temporis admittit.*

XXVII. Sic frivolum planè est, quod idem Sommerus contra primum nostrum argumentum eadem pag. 70. excipit: *Nusquam extare præceptum de FUTURORUM peccatorum remissione.* Imò verò extat, & quidem satis luculentum 1. Iohan. 2, 1. *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut ne peccetis: Quod si quis PECCAVERIT, advocatum apud Patrem habemus, JESUM CHRISTUM justum.* Quæ indefinita assertio quin Futurorum peccatorum notationem & respectum involvat, vix pius quisquam inficias iverit.

XXVII. Sic versu statim subsequente secundo, Christus dicitur *ἰλασμός* propitiatio, non pro nostris tantum: sed pro *ΤΟΤΙΣ ΜΥΝΔΙ* peccatis. Iam si totius mundi peccata sub complexum illum *ἰλασμός* *χριστός* cadunt: uti certò Iohanne Apostolo teste cadunt universa: temerarium planè fuerit & hæreticum, negare quod Futuris etiam peccatis remissio peccatorum in Scripturis destinata & promissa sit. Unde piè & verè Fulgentius, epist. de poenit: *Sicut medico nostro Christo nulla est incurabilis plaga: ita nec in aliquo vulnere, nec in aliquo tempore celestis potest deficere medicina.*

XXIX. II. Totus Evangelij scopus in eo consistit, ut indefinitè omnibus ubique locorum & temporum resipientibus, gratia & peccatorum remissio annuncietur: ita ut quemadmodum omnes omnino homines ab Adamo prognati, peccatis tam mortalibus & κατ' ἐξοχλήν voluntarijs, quàm levioribus sunt obnoxij: ita omnes omninò homines in Scripturis DEUS ad poenitentiam & conversionem invitet & provocet: neque ulli sive rariùs sive sæpiùs mortaliter peccanti, fores gratiæ & remissionis peccatorum, sint præclusæ.

Esa. 45, 22. *Convertimini, & salvi eritis OMNES fines terræ.*

Act. 17, 30. *Nunc annunciat DEUS OMNIBUS ubique hominibus, ut poenitentiam agant.*

Rom. 2, 4. *An divitias bonitatis, patientiæ & longanimitatis DEI contemnis, ignorans, quod DEI benignitas ad poenitentiam te adducit?* Agit autem Apostolus expressè de ijs, qui erant præfracti, contumaces, duri corde, sibiq; aggravabant iram in die iræ, & revelationis justij iudicij DEI. Versu 5. De his ergo prædicat Apostolus, quòd ipsos quoque DEI benignitas ad poenitentiam invitet & alliciat.

2. Pet. 3, 9. *Non vult DEUS ULLO sperire, sed OMNES ad poenitentiam reverti.*

Niti

Nisi ergo Photiniani largiri velint, omnibus ex æquo hominibus, tam his, qui sæpius & iteratò, ac contracto quasi habitu, quàm qui ex ignorantia & infirmitate carnis peccāt, quovis tempore pœnitentibus patere fores gratiæ & misericordiæ divinæ: necessum fuerit, ut ex suis cœtibus Ecclesiasticis proscribant omnes, quotquot ad mortem (generaliter hâc usurpatâ phrasi) peccare vident: neque has ad Evangelij prædicationem admittant: ne fortè sanctum detur canibus, aut margaritæ projiciantur porcis. Quam crudelem Theologiam metuo ut vel ipsorum Photinianorum antesignani sint approbaturi.

XXX. III. Stante impietate Photinianorum, clavium usus in Ecclesia maximam partem exolefcet: neque vera manebit promissio: *Quorumcumque remiseritis peccata in terris, soluta erant in calis.* Matth. 18, 18. Iohan. 20, 23.

XXXI. IIII. De similibus idem est iudicium: Atquæ in Veteri Testamento pro peccatis etiam voluntarijs, destinato consilio, & quasi ex habitu quodam vitioso commissis, à Deo ipso destinatum fuit Sacrificium expiatorium. Ergo deterioris conditionis non erit Novi Testamenti substantia.

Assumptio evidentissimè patet ex accuratiori collatione capituli quinti & sexti Levitici. Nam in quinto peccatorum per infirmitatem & ignorantiam commissorum describitur Sacrificium & expiatio. De his enim DEUS per Moysen præcepit, ut qui se istorum reum comperit, agat pœnitentiam, sive confiteatur peccatum, versu 5. Deinde ut DEO legitimam oblationem offerat pro peccato: agnam aut capellam, ver. 6. cum adjecta promissione: Sic Sacerdotem oraturum pro ipso, & reconciliaturum ipsum de peccato suo. ver. 6, 16. 19. Et hætenus quidem Photinianos habemus *ὁμοψύχους*. Ergo de volun-

tarijs & destinato consilio commissis peccatis restat disputatio. Sed & hac in parte res plana & expedita erit, si caput statim insequens textum Levitici paulò accuratius expendamus. Nam disertis verbis ibi describitur Sacrificium expiatorium pro hujusmodi etiam peccatis à DEO destinatum his verbis: *Anima cum peccaverit, & pravaricata fuerit pravaricatione in Dominum, & mentita fuerit in proximum suum in commendatione, vel in positione manus, vel in rapina, vel vi occupavit proximum suum: b. e., negaverit proximo suo depositum, vel pecuniam positam in ejus manu negotiationis gratia, vel raptum, vel vi extorsit aliquid à proximo suo: vel invenit amissum & negaverit illud, & juraverit falso: & QUODLIBET ALIUD ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines &c adducet (confitebitur) delictum suum DOMINO; vel oblationem PRO DELICTO suo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum Sacerdoti, juxta estimationem turam (Sacerdotis scilicet) in SACRIFICIUM PRO DELICTO. Et reconciliabit eum Sacerdos coram Domino, & dimittetur illi pro singulis, quæ faciendo peccavit. Levit. 6. à ver. 1. ad 8.*

XXXII. Edisserant jam nobis Photiniani, quæ & qualia sint peccata illa, pro quibus hoc loco Sacrificium expiatorium destinavit DOMINUS? Non certè lapsus aut errores infirmitatis: non delicta per ignorantiam commissa: sed talia, quæ cadunt sub censum, numerum, ac definitionem peccatorum spontè, certo consilio, destinata voluntate, & contra conscientiam commissorum: qualia sunt: Perjurium, defraudatio proximi, dolus malus, vis, rapina, & si quæ alia hujus generis ab homine committi possunt: id quod innuit universalis illa assertio: *ET QUODLIBET ALIUD ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines &c.* Vel secundum Hebræum: peccaverit super uno ex omnibus, quæ fecerit homo, peccando in ipsis: versu 3.

XXXIII.

XXXIII. Iam pro his hoc loco destinatum fuit à DEO Sa-
crificium expiatorium. Multo magis ergo in Novo Testa-
mento pro huiusmodi etiam peccatis, paratum habebi-
mus absolutissimum Sacrificium in Sanguine Christi: ni-
si fortè per inauditam absurditatem asserere malint Pho-
tiniani, typum præstantiorem & efficaciorum fuisse suo
antitypo, hoc est, umbram præstantiorem esse corpore.

XXXIV. Sed nervum Consequentiaè evidentissimè &
planè irrefragabiliter astruit Epistola ad Hebræos capite
nono, accommodans typos illos, & cum primis Sacrifi-
cia Veteris Testamenti, ad Novi Testamenti Pontificem
Christum, eo fine, ut vel inde pateat, Sacrificij respectu,
Novum Testamentum maximo intervallo eminere supra
dignitatem Veteris Sacerdotij: 7. idè: quòd Christus
non umbras amplius tractet: sed earundem præfigurata
veritatem: quippe qui Pontifex sit futurorum bonorum,
ver. 11. Deinde quòd perfectius & majus tabernaculum ha-
beat: incorruptibile nimirum & indissolubile, Cælum vi-
delicet, in quo ad dextram DEI erectus, efficacissimè fu-
tura illa bona, quæ olim sperabantur, nempe Carnem &
Sanguinem suum, totumq; meritum & justitiam suam fi-
delibus applicet. ver. eod. Tertio: quòd non per sangui-
nem alienum, sed per proprium ingressus sit in Sancta, si-
ve Cælum, uti interpretatur versus sequens 24. idè: semel.
ver. 12. Quarto: quòd Sanguine hoc suo, æternam, hoc est,
omnibus numeris absolutissimam & perfectissimam re-
demtionem pepererit: ibid. Tandem quòd hoc Sacrifici-
um Christi multis modis præstet omnibus sacrificijs Ve-
teris Testamenti. Ubi verba isthæc notationem contra
Photinianos vel maximè merentur: *Si sanguis bira-
corum & taurorum, & cinis vitulae aspersus, inquinatos
sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis
sanguis.*

*sanguis Christi, qui per Spiritum aeternum semetipsum obtulit
immaculatum DEO, emundabit CONSCIENTIAM nostram
ab OPERIBUS MORTUIS, versu 13. & 14.*

Et paulò post: *Omnia penè in sanguine secundum le-
gem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio:
Necesse est ergò Exemplaria quidem caelestium his mūdari: ipsa
autem caelestia (hoc est, ut peccata in caelis expiarentur)
melioribus hostiis, quàm istis. Non enim in manufacta sancta
Jesus intravit, exemplaria verorum: sed in ipsum caelum, ut
appareat & nunc vultui DEI pro nobis. Neque ut saepe offerat
semetipsum: quemadmodum Pontifex intrat in sancta per sin-
gulos annos, in sanguine alieno: alioquin oportebat eum fre-
quenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consum-
matione seculorum, AD DESTRUCTIONEM PECCATI,
per hostiam suam apparuit. versu 22. & seqq.*

XXXV. Evidentiora sunt isthæc, quàm ut ullo artifi-
cio eludi aut ullâ machinâ everti possint. Facessat ergò
hæretica Photinianorum assertio, nugantium, pro pecca-
tis voluntarijs & destinata voluntate commissis, nullum
à DEO destinatum esse Sacrificium: *Wutwillige Sünde
habe kein Opfer.*

XXXVI. Facessant etiam reliqua eorundem *Φλυαρολο-
γήματα*: ut 1. quòd sordibus & facinorosis, qui à carnifice
jugulantur, nulla spes veniæ sit reliqua: 2. quòd poenæ
temporales, quas mors insequitur, aeternæ damnationis
testimonia censerì debeant: 3. quòd de promissionibus
gratiæ dubitandum. 4. Quod veri Christiani nunquam
peccent mortaliter & contra conscientiam: vel si ita pec-
cent, semper tamen statim post commissum tale pecca-
tum, agant poenitentiam.

XXXVII. Verùm hæc non eo à nobis disputantur sine
aut consilio, quasi (ut à Photinianis falsò accusamur) ho-
minibus palpum faciamus, & extenuemus Scripturarum
Oracula,

oracula, quæ omnem peccandi libidinem & securitatem
severissimè damnant.

XXXVIII. Quin ipsi statuimus atrocitatem peccato-
rum nunquam satis exaggerari posse: neque poeni-
tentiam differendam: sed hodie potius, cum audierimus
vocem Domini, seriò illam agendam, neque corda obdu-
randa: mulò minus carnis concupiscentijs, sub spe mi-
sericordiæ divinæ frena securiùs laxanda esse.

XXXIX. Nam idem ille DEUS, qui omni poenitenti
promisit gratiam, non tamen impoenitenti promisit cra-
stinum: &, ut Augustinus alicubi scribit, *Vera quidem pœ-
nitentia, nunquam est sera: sera autem rarò vera.*

XL. Sed & ALTERUM errorem Photiniani circa pœ-
nitentiam, & quidem in specie, circa fidem, alteram ve-
ræ Pœnitentiæ partem, fovent, quam penitùs damnant,
neque in actu salutaris pœnitentiæ necessariam esse so-
mniant.

XLI. Flosculus est iste paradoxo illius, quo iidem hæ-
retici Catharos imitati, contendunt, Renatos & fideles
ad eam sanctitatis & innocentia *anpuler* assurgere posse, ut
per bona sua opera salutem æternam acquirere, sibiq;
comparare queant.

XLII. Verùm quoad FIDEM in Christum, rectissimè
eam constitui partem veræ Pœnitentiæ, & ejus quasi for-
mam ac animam, infra plenius & ex professo asseremus.

III. LIBERTINI.

XLIII. Libertini, (infelix fructificatio sectæ Anabapri-
stica,) à Novatianis divortium facturi in contrariam pla-
nè descenderunt hyperbolem: ita ut illi quidem contem-
derent, post Baptismum lapsis nullam per poenitentiam
patere reditum ad gratiam DEI, *Sie taugenichts*: Hi verò
pugnarent, nullâ prorsus opus esse poenitentiâ: *Man dörf
se jrer nicht*/uti loqui consueverunt.

C

XLIII.

XLIV. Fundamentum erroris est istud, quod statuebant: Peccatum naturam suam nullum esse, nisi opinione eorum, qui se peccare existiment: ac proinde renatos sive baptizatos, non posse labi mortaliter: & licet nostra opinione labi videantur contra conscientiam, in DEI tamen conspectu justos ipsos esse, & salvatum iri: propterea quod tanta sit DEI misericordia, ut Diabolis etiam ipsis, nondum baptizatis, salus & vita æterna post iudicium certo sit obventura: sic illorum sententiam exponente Petro Vireto, lib. 2. de ministerio verbi.

XLV. Sed crassior est error iste, quam ut operosa refutatione indigeat: præsertim cum Scripturarum exempla diversum luculentissime demonstrant.

XLVI. In Veteri certe Testamento, Saul & David; in Novo occurrunt Iudas Ischariotes & Petrus: qui omnes quondam Spiritu Sancto donati & justi fuerunt, DEOQUE placuerunt: postea tamen ita lapsi universi, ut ex utroque pari, utroque priori æternum damnato, alteruterque conversus æternum sit salvatus.

XLVII. Et furori huic refutando vel unum illud Servatoris sufficit: *Cum immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, & querit requiem, nec tamen invenit: dicit ergo: Revertar in domum meam, unde exivi: Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam & ornatum: Tunc vadit & assumit septem alios Spiritus secum, nequiores se, & intrantes habitant ibi: & sunt hominis illius novissima* **DETERIORA** prioribus. Matth. 12, 44. & 45. Luc. 11, 24. & 25.

XLVIII. Et illud Petri 2. cap. 2, 20, 21, 22. *Postquam effugerunt coinquinationes mundi, in cognitione Domini & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, & his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora* **DETERIORA** prioribus
Melius

Melius enim erat illis, non cognoscere viam justitiae, quam post cognitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato &c. Ratio: Quia Servus sciens voluntatem Domini, & non fecerit eam, duplo vapulabit, Luc. 12, 42.

XLIX. Et manet irrevocabilis sententia Servatoris: *Qui non crediderit condemnabitur: Marc. 16, 16, Et vermicorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: Esa. 66, 24 Sed ibunt in ignem aeternum: Matth. 25, 41.*

IV. SACRAMENTARII.

L. Viderint autem nonnulli ex Sacramentariis, quàm procul absint à furore isto plusquàm fanatico, qui scribere non exhorruerunt: *Impossibile esse ut sancti & electi pereant, aut fidem justificantem ipsis semel datam amittant aut excutiant:*

Item: *Remissionem peccatorum semel impetratam, per insequentem lapsus non posse fieri irritam: sed Spiritum Sanctum semel renato datum manere cum eo in aeternum: usque adeò ut Rennechero interprete in cat. (sal. pag. 157. & 261.) saepe complures sint ex numero Electorum, qui tamen vitam pessimam ducant; qui in sua infirmitate majorem perseverantiam habeant, quàm Adam in sua perfectione habuit. Tossan. in disp. Heidelb. contra Articulos Visitationis Misnicæ: Zanchius in Miscellaneis pag. 72. & 242. Rennech. loco jam citato.*

LI. Quis enim ita vel à ratione alienus, vel rerum Theologicarum ignarus, qui non videat, imò manibus palpet: ex istorum sententiâ, Poenitentiam ex agro & finibus Ecclesiæ, quoad renatos & electos simpliciter proscribi & exterminari? Ubi enim nemo peccare potest mortaliter: ibi nec poenitentia locum ullum sortitur.

LII. Et hæc ipsa causa esse videtur, quòd Calviniano-
rum aliqui ab usù vocabuli Pœnitentiæ penitus abhor-
rent, substituentes vocem Resipiscentiæ: plerique verò
ipsorum eam definiendam esse censent, non per Contri-
tionem & Fidem, tanquam veras ac proprias salutaris Pœ-
nitentiæ partes: sed per Mortificationem carnis, & Vivi-
ficationem Spiritus.

LIII. Iam quia duo isthæc in nondum renatos cade-
re non possunt, vel tacitè subinnuunt, eam esse naturam &
affectionem renatorum, ut nunquam peccent mortali-
ter: sed firmiter perseverent in fide semel accepta: sem-
perq; pugnent adversus Concupiscentias carnis, neque
unquam iu luctâ istâ succumbant.

LIV. Et hanc pugnam Carnis & Spiritus, nobis loco
pœnitentiæ obtendunt: talem verò Conversionem la-
psorum, quæ constet & perficiatur Contritione & Fide in
Christum; simpliciter, sed sine ratione negant.

LV. Animadvertit infirmitatem hujus dogmatis et-
jam Iohannes Piscator, Scholæ Herborenensis Professor,
qui à Calvino & Beza, hac in parte divortium faciens, ta-
lem fecit *Prinzipium*, Volum. disp. 1. Loco XLV. thesi 49.
*Quin illa quoque distributio non satis Logica videtur, quâ pro
partibus pœnitentiæ seu conversionis statuuntur Mortificatio
carnis & vivificatio Spiritus: seu (ut aliàs Scriptura loqui-
tur) Mortificatio veteris hominis, & vivificatio novi: seu
denique Fuga mali & Consecratio boni. Sunt enim hæ non
partes Pœnitentiæ: sed novæ obedientiæ: ac proinde Pœniten-
tiæ sunt effecta.*

LVI. Quam censuram uti facilè admittimus: ita re-
liquam Piscatoris disputationem, quâ definitionem, quâ
partes pœnitentiæ, probare nullo modo possumus.

LVII. Definitionem quidem talem proponit: *Pœ-
nitentiæ est factorum admissorum, factive admissi improba-*

tio dolorifica seu animum excrucians, ex consideratione offensionis DEI orta. thes. 2.

LVIII. Iam vel disputationis titulus innuit, agi non de parte tantum aliquam poenitentiam, vel de una saltem eius specie: sed de tota poenitentia, & quidem quatenus ea ad salutem nobis cedere potest.

LIX. Id quod statim subiecta divisio generis in species arguit, quando thesis 5. poenitentiam prius definitam dispescit in salutarem, & in exitialem.

LX. Atqui definitio iam posita neutrius speciei naturam & affectionem propriam satis explicat. Non exitialis poenitentiae; quia haec non tam ex consideratione offensionis DEI, quam ex timore poenae oritur: secundum illud: *Oderunt peccare mali formidine poena.* Non salutaris poenitentiae: quia factorum admissorum, factive admissi improbatio dolorifica, seu animum excrucians, cadit etiam in desperantes: exemplo Caini & Iudae, quorum uterque peccatum agnovit cum dolore, & DEI offensionem non sine horribili cruciatu expendit: sed omni salutaris Poenitentiae effectu prorsus excidit.

LXI. Destruitur ergo Piscatoriana definitio, vera differentiam specificam, quae exitialem & salutarem Poenitentiam, tanquam species contradistinctas, a se mutuo determinet.

LXII. Sin obstrepat, se Poenitentiae vocabulo non totum notare complexum, seu, ut sic loquamur, totam essentiam salutaris Poenitentiae, verum Contritionem saltem, sive improbationem (uti loquitur) peccatorum dolorificam: certe insignem Sophistam agit.

LXIII. Sophisticum enim est, Totum ipsum sub disquisitionem vocare: idque in partes suas dispescere: at interim, ubi ad definitionem ventum est, neglecto toto, unam saltem eius definire partem; id quod cum disputatio-

nis titulo, & cum tota tractatione manifestè pugnat.

LXIV. Et quanquam non ignoramus Pœnitentiæ vocabulum sæpiùs in Scripturis *μετάνοια*, pro Contritione sola poni, ut Marci. 1, 15. Luc. 24, 47. Act. 20, 21: semper tamen in locis illis, alterius partis expressa additur notatio, nempe vel fidei, vel remissionis peccatorum: id quod à Piscatore non fit: neque unquam uspiam in Scripturis, Pœnitentiæ vocabulum solitariè positum, unam saltem & quidem ignobiliorem Pœnitentiæ partem, denotat.

LXV. De Partibus Pœnitentiæ haud rectiùs differit Piscator, thesi 50. *Partes*, inquit, *Pœnitentiæ sunt, quas in definitione notavimus: videlicet, agnitio peccati, tanquam materia: & improbatio sive detestatio peccati agniti, tanquam forma. Hæc duo qui habet, PERFECTAM pœnitentiam habet, licet non statim salutarem. Nam ut Pœnitentia sit salutaris, opus est, ut accedat spes veniæ, ac tandem plena fides.*

LXVI. Qualis nimirum fuit definitio, talis etiam datur partitio: quæ videlicet non totum ipsum in partes suas proprias & quasi essentielles, vel certè constituentes dispefcit; sed quæ unius saltem partis membra subdivisa exprimit.

LXVII. Et quid illud monstri est, quòd talem Pœnitentiam nominat PERFECTAM: cùm hætenùs ab omnibus Orthodoxis Theologis, agnitio illa peccati dolorifica, ejusq; improbatio, si sola sit, Pœnitentia IMPERFECTA, tot seculorum decursu appellata fuerit?

LXVIII. Quid quòd initium saltem Pœnitentiæ, non verò complementum ejus, talis peccati agnitio constituit?

tuit? Qui ergò PERFECTA pœnitentia nominari ea
vel possit vel debeat?

LXIX. Sed nimirum rursus sub æquivocatione voca-
bûli Pœnitentiæ ludit Sophista: & solam Contritionem
per illud intelligit: id quod tamen insigni errore non ca-
ret, & omni Scripturæ præsidio destituitur: uti jam o-
stensum.

LXX. Porrò eas dat partes Pœnitentiæ, quæ ipsomet
fatente perfectam quidem, sed non salutarem Pœniten-
tiam constituunt: Unde sic colligo: Aut salutaris Pœni-
tentia est perfecta, aut imperfecta. Imperfectam vix no-
minaverit quisquam. Ergo perfecta. Si perfecta: aut ijs-
dem absolvitur partibus, à Piscatore definitis: aut alijs.
Si ijsdem: falsum est quod dixit, partes illas constituere
perfectam quidem, sed non salutarem pœnitentiam: Si
alijs: Ergo salutaris pœnitentia non erit perfecta: aut duæ
erunt constituendæ Pœnitentiæ perfectæ: sed definitio-
ne, causis, partibus, effectis, *δὲ ἀπὸ πάσων* dissidentes: U-
trumque absurdum & ἀθεόλογον. Facessat ergo inepta hæc
Theologia, calum terræ miscens.

LXXI. Nos ὀρθοδοξίαν in Sacris præscriptam secuti,
Pœnitentiæ vocabulum solitariè positum, pro toto Con-
versionis ad DEUM actu accipimus. 2. Cum Aposto-
lo materiam ejus constituimus λύπην sive dolorem de
admissis peccatis, quem vulgò Contritionis vocabulo
ἰγγραφή exprimitur: & sub eo tum agnitionem, tum
improbationem peccati comprehendimus. 3. For-
mam damus geminam, secundum diversas pœniten-
tiæ species: Exitialis quidem Pœnitentiæ Formam, λύ-
πην τῷ κόσμῳ, dolorem mundi, sive secundum mundum.
Saluta-

Salutaris verò pœnitentiæ formam λύπη κατὰ θεόν, dolor
rem sive tristitiam secundum DEUM, 4. Effectum utrius-
que damus singularem: Illius quidem, θάνατον mortem:
Hujus verò, σωτηρίαν ἀμεταμέλητον salutem, cujus nunquam
pœniteat.

LXXII. Fundamentum hujus doctrinæ monstrat A-
postolus, 2. Cor. 7, 10. inquit: *Qui secundum DEUM do-
lor est, pœnitentiam efficit ad salutem, cujus nunquam pœni-
teat: at mundi dolor mortem efficit.*

LXXIII. Stante hoc fundamento firmo & inconcusso,
emergunt Pœnitentiæ partes, non nisi duæ: 1. Contri-
tio sive dolor. 2. Fides, quæ sola præstat, ut dolor sit se-
cundum DEUM, & pœnitentia homini cedat ad salutem.

LXXIV. Et de Dolo sive Contritione, in genere
consideratâ, quòd ea Pœnitentiæ actum ingrediatur, res
inter nos & Piscatorem expedita est. De Fide autem con-
trovertitur, An ea pars sit veræ ac salutaris pœnitentiæ?

LXXV. Circa hoc κρινόμενον, Piscator noster lupum
tenet auribus. Nam in animo convictus, Fidem necessa-
riò tanquam partem requiri ad constituendam salutarem
pœnitentiam, fateri tamen illud exhorrescit, ne à gregali-
bus Calvinianis reliquis divortium fecisse videri possit.

LXXVI. Verùm tanta est vis veritatis, ut Piscatori
hæc verba extorserit: *Ut salutaris sit pœnitentia, opus est, ut
accedat spes veniæ, ac tandem plena fides.*

LXXVII. Ubi tamen rursus ματαιολογίαν quandam
prodit, pugnantem cum ὑποτυπώσει ὑγιαίνοντων λό-
γων: quando disertè innuit, spem veniæ, priorem esse ipsâ
Fide: cum tamen hæc causæ rationem: illa verò effectus
respectum sortiatur. Ubi enim nulla est Fides, ibi nec ul-
la spes est veniæ, ut quæ ex fide unicè proficiscitur.

LXXVIII. Et quid quæso per Πλήθειον (P L E N A fides)
intelligit hoc loco Disputator? Si veram, minimeq; hy-
criticam

poenitentiam vult notatam, res in vado est. Sin autem plenitudinem hanc ratione vel Quantitatis vel Qualitatis expendit, turpiter fallit & fallitur: liquidē neutro respectu, Fides vel Poenitentiae, vel Iustificationis actū ingreditur.

LXXIX. Coeterum Fidem, rectissime à nobis constitui partem Poenitentiae salutaris praeter alia, & haec rationum momenta confirmant.

1. Fides sola constituit differentiam specificam, inter poenitentiam exitialem & salutarem.

2. Fides sola praestat, ut homo sensu irae DEI, & aeternae damnationis prostratus, inter medios pavores sese erigat, à DEO consolationem efficacem, & spem veniae quaerat, & remissionem peccatorum impetret.

3. Sola fides pacem cum DEO parit in conscientia, tela Satanae, & peccati extinguit: fiduciam & accessum ad DEUM aperit cum confidentia. Rom. 5, 1. Ephes. 6, 16. & c, 3, 12.

4. Sola fides in individuo potest applicare promissionem de gratuita peccatorum remissione, per & propter Christum Servatorem.

5. Quemadmodum Contritio sustinet rationem terminatam à Quo; ostendens à quo homini poenitenti declinandum fugiendumq; sit: Ubi mutatio tantum initium, non autem finem, nedum perfectionem assecuta est. Ita Sola Fides monstrat terminum AD QUEM in tanta cordis & Conscientiae consternatione sit confugiendum, ubi tutus acquiescere, & de peccatorum remissione certi esse queamus. Quo pacto demum Poenitentia suum complementum sortitur.

LXXX. Quibus ita expeditis corrigimus Definitionem Piscatorianam tanquam semiplenam, in hunc modum: *Poenitentia est motus cordis, accensus à Spiritu Sancto, per ministerium legis & Evangelij, quo homo serio dolens de admissis peccatis, verà fide promissiones de gratuita peccatorum propter*
D Christum

Christum remissione amplectitur, sibiq; applicat, ad probandum deinceps DEO magis, per Nova Obedia studium, vitam atque mores suos.

LXXXI. Quæ puriori huic nostræ doctrinæ, ex una parte Calviniani, ex alterâ Esavvitæ obijcere solent, ea $\sigma\upsilon\nu$ Θεῶ, in ipso disputationis conflictu examinabimus & dissolvemus.

LXXXII. Jam ne integrum commentarium, pro thesibus, exhibere videamur, quàm lædam & abominandam Theologiam hodiæ Esavvitæ, circâ definitionem pœnitentiæ propugnare studeant, strictim breviterq; dispiciemus.

V. ROMANENSES Pseudo-Catholici:
& ESAVVITÆ.

LXXXIII. Primus error, quòd contendunt Pœnitentiæ vocem, quippe à pœna deductam, secundum Scripturæ & bonorum autorum usum, non solam mentis mutationem, aut erroris agnitionem, sed etiam VINDICTAM spontè assumptam significare. Bellar. lib. 1. de pœnit. cap. 7. Atqui I. vox Latina non satis est authentica, licet in Ecclesia præscriptionis aliquo jure fruatur: rectiùs Conversionis termino reddenda, 2. Neque Hebræa neque Græca vocabula, actum pœnitentiæ describentia, vel tantillum de tali vindicta, sive quoad *ἑτυμολογίαν*, sive quoad usum bonorum autorum, inveniunt.

LXXXIV. II. Error: Quod Pœnitentiam definiunt per *actionem pœnalem*, quâ quis animo simul & corpore peccatâ præterita averfatur, & vindictam de illis à semetipso exigit. Bellar. ibid.

LXXXV. Quæ sanè definitio neque cum veritate Orthodoxa: neque ipsa secum satis congruit. Nam neque rei de qua quæritur essentiam, neque partes legitimas, neque propria eandem *πάθη*, secundum Scripturas exprimit.

LXXXVI. III. Error: Pœnitentiam vitiosissimè in duas quasi species dispescunt: *Internam & Externam*: quarum
illa

*illa Virtutis moralis; hac verò Sacramenti propriè dicti natu-
ram ac definitionem sortiatur.* Bell. lib. 1. de pœnit. cap. 8.

LXXXVII. Ultramque istam Speciem simpliciter igno-
rat Scriptura: sed talem nobis commendat pœnitentiam,
quæ neque virtutis, sive Ethicæ, sive Theologicæ: neque Sa-
cramenti propriè dicti rationem habeat.

LXXXVIII. Virtutis quidem ideò non: 1. quia hoc loco
pœnitentia non consideratur, quatenus ἐν πλάτει quamvis
consilij & propositi sanio rem mutationem notat: qualis
etiam in infideles cadit. 2. quia Pœnitentia de quâ agitur,
non est habitus animi vel acquisitus, vel infusus: sed ex
toto donum DEI: *Solus enim DEUS est, qui dat Pœnitenti-
am,* Act. 2, 37. 2. Tim. 2, 25. Et quanquam Spiritus San-
ctus movet cor hominis ad agnoscendum peccata: Hæc
ipsa tamen peccatorum agnitio, non provenit ex infuso
aliquo pœnitentiæ habitu: sed tantùm ex lege DEI. Rom.
3, 20. & cap. 7, 7.

XC. Sic Sanctificatio & renovatio mentis, quam per
infusam aliquam DEI gratiam fortè haud malè definiti
posse largimur, non est ipsa Pœnitentia: sed hujus tantùm
fructus sive effectus.

XCI. Quid quòd in definiendâ hac virtute ne ipsi Scho-
lastici & Romanenses hodieque conveniant. Bonaventura
dist. 14. part. 1. art. 1. q. 1. definit virtutem pœnitentiæ, *per
gratiam & misericordiam DEI:* Alij, ut refert Thomas in 4.
dist. 14. q. 1. contenderunt, *Pœnitentiã nò esse specialem vir-
tutem, differentem ab aliis virtutum habitibus: sed sub illis o-
mnibus contineri, quatenus nimirum qualibet virtus detesta-
tur vitium sibi oppositum:* à quibus tamen dissentit Tho-
mas, statuens, *Pœnitentiã virtutem esse in voluntate, tanquã
in subjecto:* part. 3. q. 84. art. 4. eandemq; *divinitùs infundi,*
art. 5. & 6. Cui tamen contradicit Scotus in 4. dist. 14. q. 3. &
Durandus dist. ead. q. 2. qui pugnat, *Pœnitentiã virtutem*

D 2

esse

esse ipsam justitiam commutativam moralem. Huic se oppo-
nit Cajetanus, qui arr. 2. 4. sent. d. 14. *Pœnitentiã virtutem*
dicit esse ipsam Religionem. Scotus rursus in 4. d. 14. q. 2.
quatuor virtutis hujus actus constituit: 1. *velle punire pec-*
catum: 2. nolle peccasse. 3. velle acceptare punitionem pro pecca-
to. 4. pœnam susceptam patienter ferre. Sic ergo,

Cadmei fratres inter se prœlia miscent.

XCII. Causa erroris & celsipitationis hujus est gemi-
na: 1. quòd pœnitentiã actum in viribus & facultate arbi-
trij nostri positum esse, falsò statuunt. 2. quòd universam
ejus naturam & essentiam in operatione consistere, sibi
malè persuadent.

XCIII. Deinde Pœnitentiã hęc Sacramenti propriè
dictationem non habet: 1. quia communis est Veteri
cum Novo Testamento tum ratione materiæ, tum ratio-
ne formæ: ac proinde una utriusque definitio: 2. Sam. 12. 13.
Actor. 15, 11 Atqui Concilium Tridentinum Veteris Te-
stamenti Pœnitentiã Sacramentum fuisse simpliciter
negat. Ergo. 2. Pœnitentiã externa, quæ gestibus corpo-
ris, & actionibus in sensus ac oculos incurrentibus, secun-
dum Bellarminum, per Sacramentum definiiri debet: au-
torem non habet Christum: id quod nec ipse diffitetur
Bellarminus, lib. 2. de effectu Sacramenti, cap. 24. Ergo.
3. Destituitur elemento externo. Absurdus enim est Bel-
larminus, qui actum confitentis pro elemento substitue-
re audeat: id quod cum natura & analogia omnium Sacra-
mentorum utriusque Testamenti è diametro pugnat: in
quibus singulis nunquam actio participantis Sacramen-
to, constituit ejus partem essentialem: sed est aliquid ex-
tra ejus substantiam positum. Sic haud minus absurdus,
quòd scripsit, verba Sacerdotis dicentis, Absolve te,
concurrere ad constitutionem hujus Sacramenti. Sic for-
tassis verba Ministri dicentis, Ego baptizo te, constituent
etiam

etiam Substantiam Baptismi? Ἄνωτα καὶ ἀσύνετα πρῶτον.
4. Omnia Sacramenta sine fide sunt & manent ratione
substantiæ integra: At Pœnitentia sine fide haud magis
est pœnitentia, atque homo sine anima talis esse aut dici
potest. Ergo. 5. Rei terrenæ & rei cœlesti, in usu cujuslibet
Sacramenti, semper intercedit Unio Sacramentalis, sive
credat, sive non credat, qui Sacramento participat.
Ergò, si confitentis actus, & absolutio Sacerdotis, secundum hy-
pothesin Bellarmini, habent se ut partes essentielles Sacramenti hu-
jus: utique Unio Sacramentalis illis invicem semper intercedet, &
totum Sacramentum ratione substantiæ & sic ipsa quoque Absolu-
tio obtinget omnibus Confitentibus, etiam hypocritis. Absurdum
& istud ac ἐπεὶ ἐδόξεν.

XCIV. IV. Error: *Lapsis post Baptismum, non nisi per Sa-
cramentum aliud patere reditum ad gratiam & reconciliatio-
nem cum DEO: velut Bellarminus loquitur: Querendum
esse post Baptismum, aliud Symbolum externum divinitus in-
stitutum, quo Christi merita applicentur: quod sit Sacramen-
tum Pœnitentiæ.* lib. 1. de Pœnit. cap. 12. Sed omnia
ἀνωτα καὶ ἀσύνετα. Pari ergo facilitate rejiciuntur, quâ fingun-
tur, uti alicubi habet B. Hieronymus.

XCV. V. Error: *Per peccata mortalia, post Baptismum
commissa, ita enervari, & prorsus annihilari omnem usum
& fructum Baptismi, ut ad lapsos nulla prorsus amplius recon-
ciliationis gratia, ex eo redundare possit: ac proinde arripien-
dam esse alteram post naufragium tabulam, nempe Sacramen-
tum Pœnitentiæ.* Concil. Trid. Sess. 14. can. 2. Bellarm. lib.
1. de pœnit. cap. 12.

XCVI. Errori huic sit fucum faciat Bellarminus, duas
præsupponit hypotheses, non ex officinâ Spiritus S., sed
ex capitis sui liripippio petitas: utrasque longè falsissimas.

1. *Durius est pactum, quod DEUS cum peccatore fecit in re-
conciliatione post Baptismum, quàm ante Baptismum: ac pro-
inde pœnitentia est tabula naufragij.* 2. In

. . In reconciliatione post Baptismum, non ita facile ac integrè renovatur homo, ut ante Baptismum: neque, sicut in regeneratione, quæ fit in Baptismo, dimittuntur omnia peccata, quoad culpam & pœnam: ita quoque fit in reconciliatione quæ fit post Baptismum. *ibid.*

XC VII. Augent hunc errorem nonnulli majore impietate, dum non modò fictitio huic Sacramento eandem, sed & excellentiorem vim & effectum, quàm Sacramento Baptismi tribuunt: ita ut Compendium Theol. verit. lib. 6. cap. 22. expressis verbis scribat: *Per gratiam quidem Baptismi liberamur à peccato: sed per Sacramentum pœnitentiæ à pœna peccati.* Quod ipsum innuit etiam altera illa hypothesis Bellarmini, de qua jam dictum.

XC VIII. Atrocior est erroris hujus abominatio, quàm ut verbis satis exaggerari possit: quippe omnem nobis spem, omnem fiduciam, omnem consolationem, quam in Sacramento Baptismi debemus in omni vita, & cum primis in agone mortis, adversus insidias Diaboli, carnis, peccati, mortis & inferni, habere repositam, enervans, subruens, evertens, imò in amarissimum absinthium permutans.

XC IX. Non autem is hoc loco agitatur Status Controversiæ, quem in nostræ purioris doctrinæ invidiam fingit Bellarminus: *An videlicet post Baptismum lapsi, reconcilientur cum DEO rursus per Baptismum, MEMORIA tantum, non autem re ipsa repetitum?* lib. 1. de pœnit. cap. 12.

C. Verùm hîc Rhodus, hic saltus est: An fœdus in Baptismo, semel cum DEO initum sancitumq; , ex parte DEI ita sit ἀμεταμέλητον, firmum, stabile, perpetuum: ut licet lapsi post Baptismum, per peccata mortalia, & contra conscientiam designata, salutarem ejus usum amiserint, semper tamen ipsis ad illud pristinum fœdus pateat reditus, ita ut quotiescunque per veram fidem redeunt ad Christum, semper fœderis hujus virtus & efficacia, ad reconcilia-

ciliationem ipsorum, cum DEO sese exerat: neque novo aliquo Sacramento opus sit? Negativam tamen tenent Esav vitæ præter & contra Scripturas: Nos Affirmativam sequentibus argumentis demonstramus.

CI. Quia in Baptismo fit ablutio peccati, non uti Compend. Theol. verit. delirat, Originalis tantum: sed & actualis: & hujus tam mortalis quam venialis: tam futuri quam præteriti.

Marc. 16, 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur.*

Tit. 3, 5. *Non ex operibus justitia, qua fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, PER LAVACRUM regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos opulente, per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut (causa finalis exprimitur in futurum) justificati gratiâ ipsius heredes efficeremur, juxta spem vitæ æternæ.*

1. Joh. 1, 7. *Sanguis Jesu Christi filij DEI emundat nos ab OMNI peccato.*

CII. 2. Quia foederis divini virtus & efficacia, in quolibet Sacramento initiationis, Circumcisione & Baptismo, ex parte & intentione DEI, valet in perpetuum.

Genes. 17, 13. *Erit hoc pactum meum, in foedus æternum.*

Hoseæ 2, 19. *Desponsabo te mihi in sempiternum.*

Rom. 3, 3. *Numquid incredulitas hominum, DEI fidem evacuat? Absit. Est enim DEUS verax: Omnis autem homo mendax.*

Rom. 11, 29. *Dona DEI sunt ἀμεταμέλητα.*

2. Tim. 3, 13. *Si nos infideles erimus, ἀπισῶμεν, ille tamen fidelis manet: negare se ipsum non potest.*

CIII. 3. Finis & effectus Baptismi, non est abjectio sordium carnis, sed ἐπερώτημα stipulatio bonæ consciëntiæ in DEUM. 1. Pet. 3, 21. *Iam Pœnitentiæ eo saltem fine agitur, ut ad istud ἐπερώτημα rursus pertingere queas. Quin ergo Pœnitentiæ nihil sit aliud, quam reditus ad pristinam gratiam DEI, ex parte DEI nunquam evacuatâ, nemini pio potest esse dubium.*

CIV.

CIV. Quia Petrus ipse post Baptismum gravissimè prolapsus, pœnitentiam agens, non nisi suo se Baptismo efficacissimè consolatus est: sic scribens: *Cujus (arcæ Noë) figura NVN C respondens Baptismus, Nos quoque salvos reddit: sic per figuram Communicationis seipsum includens.*

CV. 5. Quia D. Petrus Baptismum, non sensu ac more Pontificio, respectu lapsorum, comparat tabulæ alicui fractæ navis: sed integræ ac firmissimæ navi, arcæ videlicet Noæ, extra quam salus nemini obtingere potuit; Unde eleganter Nazianzenus:

Ζητῶ Νῶε κιβωτὸν, ὅπως μόνον αἰνὸν ἀλύξω:

Arcam Noë salutiferam bonè CHRISTE requiro;

Vitæ per mortem, quæ mihi monstrat iter.

CVI. 6. & postremò: Quia Christus Servator teste Apostolo, per Baptismum ita sanctificat & mundat Ecclesiam, ut tum in hac tum in futura vitâ, sibi eam sistat gloriosam, non habentem maculam aut rugam: Eph. 5, 25. & 26. Non quòd talis sit semper, sed quòd per lavacrum aquæ præparetur, ut talis sit, quando apparebit Christus: uti exponunt Hieronymus in tractat. hujus loci & August. lib. 3. de doct. Christ. cap. 34.

CVII. De quo loco idem porrò Augustinus, sensu planè Orthodoxo & Lutherano eleganter admodum & nervosè disserit, lib. de nupt. & concupisc. cap. 33. Quòd ait Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet sibi eam gloriosam &c. sic accipiendum est, ut eodem lavacro regenerationis, & verbo sanctificationis, omnia prorsus mala hominum regeneratorum mudentur atque sanentur: non solum peccata, quæ nunc remittuntur in Baptismo: sed etiam quæ POSTERIUS humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur: non ut Baptisma, quoties peccatur, toties repetatur: sed quia ipso, quod SEMEL datur, sit, ut nò solum antea, verum etiam postea QUORUMLIBET PECCATORUM venia fidelibus impetretur. Quid enim prodesset, vel ante Baptismum pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur: vel quid prodesset postea, nisi præcederet Baptismus?*

CVIII. Et lib. 4. de Baptif. contra Donatist. cap. 15. In Baptizato INSEPARABILITER Baptismum permanere, manifestum est; quia in QUODLIBET profunda malorum, & in QUAMLIBET horribilem peccatorum voraginem irruat baptizatus, USQUE AD APOSTATICAM RVINAM; non tamen caret Baptismo: & idè per pœnitentiam redeunt non redditur, quia eo carere non potuisse, judicatur.

CIX. Sed modus ac finis thesium hic esto: quæ de reliquis erroribus Elawiticis, illis comprimis, quas de fictitiis illis tribus partibus pœnitentiæ, Contritione cordis, Confessione oris, Satisfactione Operis impiè spargunt: notanda forent: alias sub accuratiorem disquisitionis incudem revocabimus: si ita Studiis Theologicis consultum visum fuerit, & misericors pater Cœlestis, fons & largitor omnis boni, vitam viresq; fartas tectas conservaverit: Cui sit laus, gloria & gratiarum actio seculis infinitis. AMEN.

05 A 1719

ULB Halle 3
003 786 145




510-TA

VD17 01







Farbkarte #13

B.I.G.

Εξέτασις ἐλεγυλική

ERRORUM TUM VETERUM, TUM RECENTIORUM:
eorum cum primis, quos Photiniani hodie,
Sacramentarij, & Esavvitæ, de POENITENTIA,
fatis impiè propugnare student.

*Sub auspicijs sacro-sanctæ & individuæ
Trinitatis;*

Ordinariæ disputationis loco proposita,

PRÆSIDE

LEONHARTO HUTTERO,
S. Theologiæ Doctore & Professore P. ac
Collegij Theologici Seniore:

RESPONDENTE

M. SIGISMUNDO EVENIO Navenâ-
Marchico, amplissimi Collegij Philosophici
Adjuncto.

a. d. 16. Aprilis: horis à sextâ matutinis.

WITTEBERGÆ
Typis IOHANNIS GORMANNI,
ANNO M. DC. XIII.